

1558 *Parmæ, ac Placentiæ Ducem additum; multas in Germania clientelas habere. Quoniam, depressis ac profligatis Gallis, superbæ gentis dominandi libido se se tolleret? Enitendum esse, ne grave hoc exortum incendium se se latius effundendo curâ corripit; Senatui præsertim, qui, ne nimium se se alterius efferret potentia, atque ut æquabili temperamento pax, libertasque Italiæ retineretur, laborasset. Itaque hoc rerum statu minime cunctandum; quamprimum, ut periclitanti Christianæ reipublicæ subveniatur, extra ordinem legatos mittendos censere.*

*Philippi
Foscariora-
tio.*

Iis, quæ a Zeno adducebantur Philippus Foscarus, Consilii Sapiens, neminem arbitrari, inquit, ita tardo, atque hebeti ingenio esse, qui non summopere recondi ea arma cuperet, quæ miserrime in mutuam Christianorum perniciem distringerentur; id ipsum omnes & velle, & in primis optare, id porro non vanæ ostentationis specie, sed re ipsa statim peragendum esse, ne, dum legatorum missione tempus teritur, cunctando pulcherrimi consilii fructus interciperetur. Quæ vero propositæ legationis utilitas esset, non satis intelligere, dum eadem, quæ Zenus vellet, per ordinarios legatos perfici possent; nisi forte Suleimanum laceßere minime sibi pertimescendum arbitraretur, quem cunctas Reipublicæ actiones sedulo observare, qui ignoraret, esse neminem. Quasi vero, inquit, rebus conducere vestris possit, ut dum fœdere Principesnectere enitimini, adversus vos potentissimi Regis arma exacuatis. Quis enim nescit, postquam effera gentis potentia excrevit, quam gravia vobis ejus arma fuerint, quarum vel magnitudine, vel infida, ac suspecta sociorum amicitia quot damna subiveritis, prætereundum potius silentio, quam difficillimorum Reipublicæ temporum acerba memoria refricanda est. Illi vero maritimi apparatus, ea cunctis rebus adornata classis, an non in Cyprum destinabantur? nisi vestro studio, copiis, præsidiis, trirēmibus suscepta consilia disjecta, atque interturbata essent. Horum impetus ut fortiter, atque constanter sustinere virtutis, atque in patriam pietatis est; ita ultro provocare, atque elicere, neque prudentiæ est, ab iisque consiliis abhorret plurimum, quibus, armis invicem reliquis sævientibus, pacem retinuitis, servastis, auxistis. Hæc, atque alia cum disceptata forent, frequens